

ANNOTATIONES. — I. Ex simplici huius splendidi pontificii monumenti lectione, nemini non patebit eius momentum maximum, nedum in ordine perfectionis christianaæ promovendae, verum, et praesertim, in religiosorum progressu atque evolutione. Duas partes perfecte distinctas comprehendit constitutio, aliam historicoo-doctrinalem, aliam normativam. Pontificio documento occasionem dedit phoenomenum, quod amplius ignorari non poterat, novarum formarum apostolatus et perfectionis christianaæ ubique terrarum pullulantium quae, dum evidenter associationum simplicium fidelium, de quibus III pars Codicis Iuris Canonici libri II loquitur, undequaque exorbitant, inepte etiam normis secundae partis eiusdem libri aptari videbantur. Opus ergo fuit locum proprium eis adsignare earumque naturam definire, quod egregie constitutio « Provida Mater Ecclesia » perfecit simul tradens atque luculenter illustrans clas sicam de statibus perfectionis doctrinam his novissimis temporibus a nonnullis denaturatam.

Ut autem gravissima Romani Pontificis verba in prima Constitutionis parte prolata de statibus perfectionis melius intelligantur, operae pretium puto aliqua de statibus perfectionis classica seu traditionalia principia summatim referre dum ad fusiorem argumenti tractationem a me scriptam in *Commentarium pro Religiosis* comitem lectorem remitto.¹⁵

II. Aque imprimis status — graece στάσις — ethimologice *actum standi*, cui motus opponitur dicit;¹⁶ realiter vero, sive proprie sive translate, vox status infinitae pene est significationis. « Attribuitur, ait Suarez, rebus viventibus et non viventibus, rationalibus et irrationalibus, naturalibus et moralibus ».¹⁷ Ipsamet Societas politica *Status* vocatur. Verum propriissime dictus, status est species praedicamenti *positionis* quod a philosophis definitur: « quaedam positionis differentia secundum quam aliquid disponitur secundum modum suae naturae quasi in quadam immobili-

¹⁵ « Commentarium pro Religiosis » (CpR) I, 22 ss., 73 ss., 101 ss. Ibi etiam tum fontes, tum praecipui classici auctores qui materiam hanc funditus tractavere. Noto hic speciali iller D. Th., 2-2, qq. 183-189; PASSERINI, harum quaestionum absolutissimum exppositorem in opere *De hominum statibus et officiis*, v. I. Romae 1668; SUAREZ, *De Religione*, t. III. Lugduni, 1623; LARREAONA, *Commentarium Codicis CpR.*, II, 135 ss., 168 ss., 171 ss., 201 ss., 275 ss.; SWINTECK, *Elementa status religiosi in Scriptura*, CpR., III, 21 ss. 149 ss.;

JOMBART, *L'essence de l'état religieux*, in « Revue des Communautés religieuses » (RCR), I, 174 ss.; VERMEERSCH, *De status religiosi essentia*, in « Periodica de re canonica et morali » (Per.) XV, (1)-(9); PEINADOR, *Quaestiones iuridicae-morales de statu religioso*, CpR., XII, 261 ss.; XIII, 205 ss.; XIV, 69 ss.

¹⁶ FORCELLINI, *Lexicon totius latinitatis*, verb. *status*, ubi omnes aliae vocabuli ibi relatae significationes primiti geniam servant ideam magis vel minis resultantem.

¹⁷ Op. cit., l. I, cap. 1 n. 1.

tate ».¹⁸ Quando ergo status homini tribuitur, duo importare videtur, *rectitudinem et quietem*.¹⁹ Ulterius procedendo in conceptus status disquisitione, status nendum de physica corporis in loco positione, verum praedicatur, et quidem praesertim atque usu quotidiano frequentissimo, de hominis *positione moralis*, vel privata et interna vel publica et sociali.²⁰ Quae vero positio moralis, ut nomen status mereatur, illas duas notas *perfectionis et quietis* praeseferre debet iuxta Doctorem Eximum. « Cum vero personae attribuitur (status), duo semper indicat scilicet, perfectionem in aliqua conditione vel modo existendi eius et quietem seu immutabilitatem in illa ».²¹ Ad recte tamen status naturam intelligendam, notasse iuvabit perfectionem hic relatam minime in forma perfectiva subiecti aut in comparatione ad aliam oppositam perfectionem consistere, quia aliter status imperfectionis moralis dari non posset, sed potius significare *consummationem* seu completionem *in proprio esse ex oppositione rei existenti quasi in fieri*.²² Unde patet perfectionem hoc sensu ad statum requisitam ipsum constituere vel quatenus positive adest vel quatenus abest; id est status moralis resultat vel ex praesentia vel ex absentia perfectionis, quod in statu gratiae et peccati appetit. Ad rem Passerini: « Perfectionem tam illius consecutio quam illius privatio; et finem tam respicit conversio quam aversio. Ideo si verum est quod status importat conditionem hominis resipientis hominis perfectionem, sed non necessario respectu positivo sed vel positivo vel privativo, vel quia ad propriam perfectionem convertitur inamobiliter vel ab ea inamobiliter avertitur. »²³

Ex quo patet statum, quoad primum elementum, significare *modum seu conditionem vitae humanae definitam*. Ad aliud elementum quod attinet, hoc est stabilitatem, planum est requiri illam nempe *moralement*, respondentem utique diversis positionibus hominis diversaque firmitati quae tandem non sit « ex aliqua causa levi vel de facili mutabili »,²⁴ sed utique, largo sensu, immutabilis dici beat. ²⁵ Unde liquet diversus gradus stabilitatis dari posse sufficientes, iuxta materiam, ad diversus status constituendos,²⁶

¹⁸ D. Th., 2-2, q. 183, a. 1.

¹⁹ Ib., l. c.

²⁰ Cfr. D. Th., l. c.; PASSERINI, op. cit. q. 183, a. I, n. 5; SUAREZ, l. c.; BOUIX, *De iure Regularium*, Parisiis, 1857 l. I, c. I.

²¹ Ib. Iuxta PASSERINI (l. c. n. 6) ad veram rationem status sufficeret *stabilitas*, quin absolute requirat perfectionem statui connaturalem. Dissidium tamen non in substantia sed in verbis potius habetur, uti demonstra-

tur ex loco eiusdem Passerini modo citando.

²² L. c.

²³ L. c. n. 7.

²⁴ D. Th., 2-2, q. 183 a. 1.

²⁵ SUAREZ, l. c. n. 9; PASSERINI, l. c. n. 11.

²⁶ Faciliter sex gradus recensetur, prout magis vel minus stabilitatis ratio participatur, in quibus sufficiens fundamentum ad statum constitendum invenitur. CpR., I, 24 ss.

dummodo tamen in iis verificetur illa « conditio vitae hominis moraliter stabilis » in qua vera status ratio consistit. ²⁷

IV. Traditae notioni conformes plures in homine status morales distinguimus. Potest enim status esse *privatus*, seu mere internus, qui conscientiae vel soli Deo appetit, uti status peccati et gratiae,²⁸ et *publicus*, seu socialis, qui in societate speciale vitae conditionem praestat homini, utputa status religiosorum, coniugatorum etc. Qui status publicus dici potest mere socialis si specialia iura vel obligations non praeseferat; uti status plebeiorum in modernis societatibus,²⁹ et *iuridicus* qui propria iura et officia secum fert a lege recognita, uti status clericorum et laicorum in Ecclesia.³⁰ Has autem status species D. Thomas ad illam supremam statuum divisionem iuris romanorum reducit libertatis et servitutis « sive in spiritualibus sive in civilibus ». ³¹ At vero quando de statibus iuridicis in Ecclesia loquimur, aliud elementum praeter stabilem conditionem Doctor Angelicus requirit, nempe *solenitatem* aliquam ab auctoritate legitima inductam, qua statum iuridicum suscipi manifeste demonstretur et a qua, proinde, iuridicitas derivatur.³² Ergo status iuridicus a firmitate quod sit status habet, a conditione vitae, quod talis sit, a sollemnitate tandem, quod sit iuridicus.³³

²⁷ Cfr. SUAREZ, l. c.; PASSERINI, *Ius canonicum*, t. I, l. III, tit. XXXV, n. 1; PIRHING, *Ius canonicum*, t. III, l. III, tit. XXXV; WERNZ, *Ius decretalium*, t. III, n. 588; BOUIX, op. cit., t. I, cap. 1 etc.

²⁸ PASSERINI, op. cit. q. 183, a. II, n. 13; SUAREZ, op. cit. l. c. n. 10; BOUIX, op. cit., cap. II; VERMEERSCH, *De Religionis Institutis et Personis*, Brugis, 1904, t. I, nn. ss.

²⁹ Alter in iure Romanorum, ubi *plebeii* statum iuridicum efformarunt sicut patricii. In nationibus christianis mediis aevi, etiam tres status floruerunt, *populi nobilium* et *cleri* qui, in Gallia, ad eversionem usque saeculi decimi septimi persisterunt. Cfr. BONFANTE, *Storia del diritto romano*, Milano, 1923, vol. I, cc. VI, VIII; ARANGIO-RUIZ, *Storia del diritto romano*, Napoli, 1937, cap. III.

³⁰ Pro civilistis status uti *positio iuridica* in societate tantum considerari solet. Sic FILOMUSI-GUELFI, e. g., « *status*, ait, è la condizione giuridica dell'uomo o della persona » (*Encyclopedie giuridica*, ed. 6, p. 186 not. 4. Idem

SIMONCELLI: « Lo stato (status) è la condizione o posizione dell'uomo per cui ad esso sono inerenti dei diritti e dei doveri ». *Istituzioni di diritto privato italiano*, ed. 2, n. 45.

³¹ 2-2 q. 183 a. l. Cfr. 1. 3 D. I, 5, ubi GARUS dicit: « Summa itaque de iure personarum divisio haec est: quod omnes homines aut liberi sunt aut servi ». Verum, praeter libertatem, duo alia capita divisionis statuum penes Romanos aderat, nempe *civitas* et *familia*. Ex civitate homines erant cives, latini peregrini; ex familia autem, sui vel alieni iuris. D. I, 6; IV, 5; I. I, 5. Generalis haec divisio in nostro iure vero momento caret.

³² « Sic ergo, ait D. Th., proprius dicitur aliquis esse, non ex hoc quod habet actum dilectionis perpetuae, sed ex eo quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quae sunt perfectio- nis ». 2-2, q. 184, a. 4. Quod non vult dicere non posse verum statum iuridicum existere absque solemnitate. Cfr. SUAREZ, op. cit., cap. V, n. 8; PASSERINI, op. cit., q. 184, a. 4, n. 8:

³³ Cfr. CpR., I, p. 26.

V. Igitur in Ecclesia, diversi status iuridici ex diversis rationibus constituntur,³⁴ praesertim vero ex duplice capite videlicet, ex positione hominum respectu *perfectionis* vitae christiana ad quam procurandam ipsa Ecclesia est a Domino instituta, et respectu *hierarchiae* cuius est curare ut illa christiana perfectio facilius obtineatur. Age porro, si homines respectu hierarchiae consideremus, duo nobis occurruunt status genera, iure divino distincta, *clericorum* et *laicorum* (c. 107, 498); illorum est praeesse et cultus Dei providere, horum autem subesse et a clericis spiritualia bona recipere (cc. 108, 118, 162 etc.).³⁵ Si autem homines in Ecclesia degentes, respectu *perfectionis* vitae christiana inspicimus, status distinguuntur in status *vitae communis* sive *praeceptorum*, et *perfectionis* seu consiliorum. « Ratio huiusmodi vitae (christiana), ait Suarez, duplex est, quaedam est omnibus fidelibus communis et generalis, quia est ad salutem necessaria; alia vero esse potest specialis quae, praeter ea quae necessaria sunt, plura media complectitur. Et utraque ratio vivendi, in suo gradu habet debitam perfectionem et stabilitatem, ergo recte inde duplex status exurgit, vitae christiana communis et perfectionis». ³⁶ In statu vitae communis sunt omnes christiani sive vinculo matrimonii uniti sint sive soluti³⁷ status autem perfectionis in duos status subdividitur ab Ecclesia recognitos, in statum

³⁴ Satis communiter antiqui distinguunt tria genera, scilicet, clericorum, coniugatorum, religiosorum. — SCHMALZGRUEBER, *Ius eccl. universum*, l. III, t. XXXV; PICHLER, op. cit. l. III, t. XXXV; MASCHAT, *Institutiones canonicae*, l. III, t. XXXV n. 1 etc. Plures, e contra ponunt SUAREZ, op. cit., c. I; PASSERINI op. cit., q. 183, a. 2. Divisio D. Thomae q. 183 a. 4 incipientium, profitentium et perfectorum, non sese refert ad status iuridicos, sed ad gradus perfectionis caritatis.

³⁵ In statu clericali, sive ratione hierarchiae iurisdictionis sive ordinis, diversi gradus sunt quorum alii a iure divino, alii a iure ecclesiastico reputantur (cc. 108 q. 3, 218, 319). Cfr. *Concilium Trident.*, sess. 23, cap. IV. Ceterum, non omnes gradus hierarchiae aequae rationem status participant.

³⁶ Op. cit., c. III, n. 7.

³⁷ Quoad sacerdotium et perfectio nem cfr. Pii XI Litteras Encyclicas *Ad catholici sacerdotii*, 20 dec. 1935 (A. A. S., XXVIII (1936), pag. 5-53). Quoad clericos et statum *formalem* per-

fectionis cfr. D. Th. 2-2, q. 184, a. 6; SUAREZ, o. c., c. III, n. 17. Clerici maiores tenentur in Ecclesia latina ad continentiam «quae est unum eorum quae ad perfectionem pertinent» et omnes «debent sanctiorem prae laicus vitam interiorem et exteriorem ducere eiusque virtute et recte factis excellere» (c. 124). Quaestio nem, nostris diebus acriter disputatam, utrum nempe sacerdotalis perfectio religiosorum praestet perfectioni, nostra non est hic agitare, quia apostolica constitutio quam commentamur, non de *gradibus* sed de *statibus* perfectionis agit. De hac quaestione inter alios vide, GUIBERT, *Vie sacerdotale, vie religieuse et perfection* in «Revue d'Ascétique et Mystique» a. 1935, 235, ss., 281 ss.; PEINADOR, *Sacerdotium et status religiosus* CpR., XIX, 31 ss., 110 ss., 214 ss., 269 ss., 340 ss.; XX, 38 ss., 313 ss.; P. BILLET, *La perfection exigée par le ministère des âmes* in «Vie Spirituelle» an. 1935, 125 ss.; M. G. LAMAITRE, *Sacerdoce, perfection et vœux*, Desclée 1932.

*Episcoporum et Religiosorum.*³⁸ Ex quo nota hos diversos status in Ecclesia recognitos, qui ex diversa ratione, sive hierarchiae sive perfectionis exurgunt, non esse inter se oppositos, nam ex diversa ratione formaliter suum esse mutuantur; sic merito can. 107 asserit religiosos posse esse clericos vel laicos; immo cum utriusque divisionis propria ratio sit adaequata, membra primae divisionis necessario inter alterius membra computari debent et viceversa. Sic, omnes christiani sive communem vitam sive perfectionis vitam agant, inter clericos vel inter laicos sunt recensendi et, e converso, omnes laici, vel clerici vel laici statui vitae communis vel perfectionis adscripti necessario sunt.

VI. In Ecclesia igitur, praeter statum eorum qui ut salutem aeternam consequantur, praeter praecpta ad ipsam necessaria, nihil amplius ex obligatione adimplendum profitentur, est status eorum obtinendi ergo illam securius atque celerius, praecptis aliqua superaddunt, ceterum libera, quae adimplere ex assumpta speciali professione obligantur. Hi in statu *perfectionis* iure meritoque dicuntur; nam etsi omnes christianos aliquo pacto in statu *perfectionis* esse dici valeant, eo quod omnes aequae tenentur ad caritatem in qua principaliter vitae christiana perfectio consistit et qua mediante ultimo omnium fini coniunguntur, unde omnibus indiscriminatim praecipitur «diliges proximum tuum sicut te ipsum»;³⁹ nihilominus ii soli in statu *perfectionis* vere esse dicuntur qui caritatem prosequuntur *mediis aprioribus*, quae praebent Consilia Evangelica legi superaddita.⁴⁰ Quod pro more egregie declarat Suárez: «Ut autem hoc magis declaretur, ait, supponenda est communis distinctio de duplice perfectione caritatis seu christiana vitae; una perfectio dicitur essentialis, alia superaddita essentiali, ac proinde accidentalis; vel una simpliciter ad iustitiam alia utilis ad melius esse. De prima loquitur Christus cum ad omnes dicit *estote perfecti* (Matth. 5). De posteriori vero dicit ad quemdam: *si vis perfectus esse* Matth. 19». ⁴¹ In praesenti ergo cum de perfectione vitae christiana agimus, non de sola essentiali, sed de *cumulationi* loquimur... et concludit: «His ergo concludimus christianam perfectionem sine observantia consiliorum praeter praecpta, non acquiri. Assertio haec est certa et communis eamque tradit D. Thomas q. 184 art. 3 et sumitur ex verbis Christi Matth. 19: «Si vis perfectus esse, abi et vende omnia quae habes

³⁸ D. Th., 2-2 q. 184 a. 5; SUAREZ, op. cit., c. XIV; PASSERINI, op. cit., q. 184 a. 5 nn. 1, 2. *Status animarum* de quo in can. 470, significat summam notarum vitae et conditionis paroeciarum, non statum aliquem iuridicum speciale.

³⁹ MATTH., XXII, 37-39. Cfr. D. Th., 2-2 q. 184 a. 3.

⁴⁰ D. Th., ib. et ad 3; SUAREZ, op. cit., l. I, c. X nn. 1, 2; PASSERINI, op. cit. q. 184 a. 3 n. 86; VERMEERSCH, *De Religiosis*, I, n. 7.

⁴¹ Ib. n. 1.

et veni sequere me ». ⁴² Ex quibus iam concludere possumus, licet *fundamentum* status perfectionis sint dicenda p^racepta communia, eius veram *formalem rationem*, proindeque ipsius constitutionem atque essentiam, in consiliis evangelicis esse ponendam. Ipsum statum perfectionis ergo possumus definire « publicam professionem consiliorum Evangelii in ordine ad perfectionem caritatis obtinendam »; quae definitio de cetero coniurat amice cum illa can. 487.

VII. At quaeres quaenam consilia adimplere oporteat ut quis in statu perfectionis constitutus esse dicatur. Imprimis, planum est *non omnia* indiscriminatim quae in Evangelio continentur consilia esse necessaria ad statum perfectionis constituendum, sed illa tantum quae, omnibus perpensis, et data personarum complexione melius has ad finem consequendum ducant; ⁴³ praeterea, neque in abstracto apte definiri posse quaenam ad statum perfectionis sint necessaria consilia; nam status perfectionis stat in publica professione consiliorum in ordine ad caritatem, qui ordo duplex est, nempe ad caritatem adquirendam et ad caritatem exercendam, seu, uti alii volunt ad caritatem erga Deum et ad caritatem erga proximum, uterque autem ordo propriis mediis, idest, consiliis peculiaribus instruitur ad finem obtinendum. Ad caritatem exercendam, vi suscepti officii tenentur Episcopi, ⁴⁴ ad acquirendam vero religiosi. Cum autem in Constitutione « *Provida Mater* » tantum de statibus perfectionis acquirendae sermo fiat, in his parumper adhuc insistimus.

VIII. Atque, in primis, in pro^omio constitutionis, Romanus Pontifex evolutionis status canonici perfectionis acquirendae velut synthesim proponit a primis monumentis eiusdem exordium sumens prout iam « a rei christiana*e* incunabilis » apparet et demonstrans materni interventus Ecclesiae progressum in perpoliendis, definiendis et p^raeciendi elementis, condicionibus et effectibus iuridicis incipiens a rudimentariis atque embrionalibus illis formis primitivis ascetarum, virginum coenobitarum et pertigens ad perfectam usque et absolutam formam Religionum. Quod fecit Ecclesia, suae conscientiae divinae missionis, cum Ei perfecte pateret « quam arce atque intrinsece historia sanctitatis Ecclesiae et apostolatus catholici cum historia fastisque vitae religiosae coniuncta sit, hoc, praeterea, sciens et providentis Sapientiae ordinem retinens nempe, statum canonicum perfectionis esse « ex angularibus lapidibus super quem aedificium ipsum ecclesiasticum superaedificare oporteat ». Ut supra notavimus — « et est, ait Pontifex, res sane digna quae attente ponderetur » — quod inter duos ordines personarum, nempe clericorum et laicorum

⁴² Ib. n. 3.

⁴³ D. Th., 2-2 q. 186 a. 2.

⁴⁴ Ex quo nonnulli statum Episcoporum dicunt perfectionis *adquisi-*

tae. SUAREZ, op. cit., I. I, c. XIV; BOUIX op. cit., I, c. V. Alii negant. PASSERINI, op. cit., q. 184, a. V nn. 1-9; VERMEERSCH, op. cit., I. c.

divino iure constitutos (cc. 107, 108), ordo *hic Religiosorum media classis* prostat « quae utrisque clericis et laicis *communis* esse potest quaeque ex arcta peculiarique relatione ad Ecclesiae *finem*, sanctificationem nempe efficaciter rationibusque adaequatis prosequendum, tota desumitur ».

IX. Porro, post tot saeculorum evolutionem, « ne professio publica ac solemnis sanctitatis frustraretur atque incassum cederet, Ecclesia hunc canonicum perfectionis statum semper maiore rigore in *societatibus* recognoscere *tantum* voluit ab ipsa erectis atque ordinatis, scilicet, in *Religionibus* (c. 488, 1^o) ». Aliis verbis, status *canonicus* seu *iuridicus* perfectionis acquirendae, quidquid theoretice de perfectionis statu disputari liceat, alius non recognoscitur praeter illum qui in *Religionibus* verificatur; unde concludere fas est statum canonicum perfectionis, iure quo utimur, ⁴⁵ cum statu religioso lato saltem sensu accepto, confundi atque converti, cum illo, inquam, qui in Codice definitur: « Stabilis in communi vivendi modus quo fideles, praeter communia p^racepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt » (c. 487).

Profecto, *stabilitas* est prima et fundamentalis cuiuslibet status conditio eidem proveniens ex causa permanente nec de facili mutabili, quae habetur, non unice tamen, in *votis*; ⁴⁶ perfecte quidem in perpetuis, minus perfecte sed sufficienter in temporaneis (c. 488, 1^o). E contra, elementum *vitae communis* ad religiosum statum requisitum, a iure positivo Ecclesiae mutuatur et videtur sufficienter in *adscriptione* societati religiosae consistere, ⁴⁷ quin necessario cohabitationem, seu totius vitae consortium secum ferat prout sub eodem tecto vivitur eiusdemque mensae participatur. Fatendum tamen perfectam vitae *communis* rationem *Religionibus* et *Societatibus* de quibus in tit. XVII 1. II, Codicem voluisse p^raceptam. ⁴⁸ Ad essentiam et rationem *formalem* status perfectionis acquirendae quoque pertinet, absque dubio, *consiliorum evangelicorum professio*, eorum praesertim a Christo domino specialiter propositorum quae, triplicem hominis concupiscentiam radicitus compescant, aptius ad caritatem capessendam manu ducunt; talia sunt ab omnibus considerata paupertas, castitas et obedientia. ⁴⁹ Denique professio haec firmando est

⁴⁵ Dicimus iure quo utimur, nam uti planum est, non semper eadem requisita fuere elementa formalia, neque nunc *absolute* requiruntur, quod liquet ex monumentis in ipsa constitutione « *Provida Mater Ecclesia* » relatis. Videas hanc evolutionem et varietatem apud HEIMBUCHER, *Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche*, Paderborn 1933.

⁴⁶ Re quidem vera, haec stabilitas haberi potest aliis modis, uti statim di-

citur, et de facto habetur in *Societatis* *b* sine *votis*.

⁴⁷ Cfr. LARRAONA, CpR., II, 137 ss.; SCHAFER, *De Religiosis*, 4 n. 142; GOYENECHE, *De Religiosis*, n. 1 b.

⁴⁸ Profecto, status religiosus, prout in Codice proponitur, supponit hanc vitam communem p^raceptam. Cfr. inter alios cc. 488, 5^o, 495 ss., 502, 512, 531 ss., 554, 556, 587 § 2, 594 etc.

⁴⁹ MATTH., XIX, 10-12; Ib. 21-29; LUC., XIV, 33; MARC., X, 21; I Cor.,

voto, quod quidem etiam ex Ecclesiae instituto procedit, nam, tametsi extra dubium sit positum, vota stabilitatem professionis vitae christianaee aptissime firmare, id ipsum etiam aliis rationibus obtineri posse utputa, praecepto, contractu, traditione, simplici promissione, perclarum est.⁵⁰ Haec vota praeterea, nunc, *publica* esse debent sufficiuntque simplicia⁵¹ et temporaria.⁵² Quae omnia plene verificantur, uti diximus, in Religionibus.⁵³

Cum tamen nonnulla ex his elementis, a voluntate positiva Ecclesiae unice dependeant, nihil mirum si quando Ecclesia ipsa illa modificaverit vel praetermisserit, statum canonicum restringens vel extendens ad alias consociationes, quae licet aliquibus ex iis formalibus elementis caruerint quae Religionum sunt propria, harum tamen substantiam participant, hoc est, perfectionis evangelicae et apostolatus studium neon non internam hierarchicam et ultradioecesanam constitutionem aemulantur, unde vera eisdem quadantenu accedunt. Egregie const. « Provida » id declarat. « Ecclesia magna qua gaudet animi mentisque largitate tractuque vere materno, brevem titulum legislationi religiosae, velut peropportu num complementum canonicum perfectionis, satis plene aequiparare statuit societas, de ipsa et frequenter etiam de civili societate optime meritas, quae, quamvis aliquibus iuridicis solemnitatibus ad statum perfectionis canonicum *completum* necessariis, uti votis publicis (cc. 488, 1º, 7º; 487) careant, tamen ceteris quae ad vitam perfectionis substantialia requiruntur, veris Religionibus arcta similitudine et velut necessitate coniunguntur ». Ergo Sanctissimus Dominus Noster Pius XII, auctoritate suprema qua gaudet, istis fretus rationibus, ad statum canonicum perfectionis novissimas ecclesiasticas consociationes, quae deinceps *Instituta saecularia* appellabuntur, adscisce re decrevit, novam categoriam feliciter inducens, qua inceptam a Codice viam audacter percurrent, caritatis acquirendae statum perfecte atque definitive, quia adaequate, divisit.

XI. Et nunc operae pretium puto gressus praecipuos proequi per quos ad auspicatam constitutionem Pianam quam commentamur perventum est.⁵⁴

VII, 25 ss. Cfr. SCHWINTECK, Cpr., II, 25 ss., 226 ss.; III, 21 ss., 1883 ss., 341 ss.: PIAT, *Praelectiones iuris regularis*, I, p. 22 ss.; SUAREZ, op. cit., l. c. X.

⁵⁰ Cfr. GOYENECHE, op. cit., l. c. d.; LARRAONA, Cpr., II, 169; CORONATA, *Institutiones iuris canonici*, I, p. 593, d.

⁵¹ Can. 488, 1º; Cfr. LARRAONA, I, 46 ss., 133 ss.; SCHAEFFER, op. cit., n. 131 ss.

⁵² Can. 488, 1º. Vota tamen quadantenu sunt perpetua ex eo quod suo tempore sunt renovanda. Cfr. LARRAONA, II, 268 not. 77. Est igitur mi-

nimum quod in Religionibus ad stabilitatem requiritur.

⁵³ Cc. 487, 488, 1º. Ceterum, hoc explicite in ipsa constitutione « Provida Mater Ecclesia » asseritur.

⁵⁴ Noticias quas in hac parte referimus, sive ex notulis personalibus sive ex ipsa *Positione* constitutionis preparatoria desumimus, quam *Positionem* iam abunde citatam videre potest humanus lector in ephemerede hispanica « Revista Española de Derecho Canónico » an. III fasc. septiembre-diciembre (1947) pp. 843 ss.

1. Iam sub fine saeculi XVIII, et quidem gallicae eversionis occasione, necessitas persentiri coepit personarum quae caritatis atque apostolatus operibus incumberent religiosorum propriis, quin tamen certis ligarentur formalitatibus, uti vita communi et habitu, quae necessaria hucusque reputabantur ad vitam religiosam prosequendam. Hinc iam anno 1790 Lutetiae Parisiorum conditum fuit Institutum cui titulus *Filles du Coeur de Marie* quod, postea, omnibus approbationibus pontificis obtentis, ad nostros usque dies maximo animarum fructu, sine vita communi et habitu adlaborant.⁵⁵ Aliam harum institutionum habemus in *Oeuvre de la jeunesse*, Massiliis a piissimo viro Joannes Joseph Allemand die 24 iunii an. 1821 condito quod Pius IX d. 24 febr. 1878 uti Congregationem recognovit licet nonnulla ex membris, in propriis domibus et saecularibus negotiis et professionalibus intenta, votis religiosis non obstantibus, remaneant. Cum ergo saeculi elapsi decursu, huiusmodi associationes multiplicarentur, S. C. EE. et RR. quæstionem de principio censuit tractandam et edidit die 11 augusti an. 1889 celebre decretum « Ecclesia Catholica » in quo declarat non intendere uti Ordines vel Congregationes religiosas recognoscere tum instituta quae, licet in communi vivant, nullum tamen signum praeseferunt quinimmo student occultare tam Institutum ipsorum quam eius naturam, tum illa quae, etsi in communi vivant, habent aliqua membra votis sive perpetuis sive temporaneis ligata, quae in propriis domibus vivunt quin signum aliquod deferant unde dignosci possint membra esse eiusdem Instituti. Quodsi accident quandoque S. Congregationem talia instituta laudare et approbare, ea tantum laudat uti pias sodalitates et quidem « sub essentiali conditione quod plene perfecteque respectivis Ordinariis innotescant ac eorum omnino subsint iurisdictioni ». ⁵⁶ Re quidem vera, post hoc editum decretum, exceptiones utriusque conditioni admissae fuere;⁵⁷ at licet decretum « Ecclesia Catholica » in Codice relatum non fuerit neque in Normis pro condendis et approbandis novis congregationibus an. 1921,⁵⁸ et inde omni vi amisisse

⁵⁵ Die 29 apr. 1853 laudis decretum obtinuit, die autem 24 apr. a. 1857 approbationem definitivam. Constitutiones fuerunt ad decennium adprobatae d. 30 mai a. 1870, definitive vero d. 18 iunii a. 1890. Natura Congregationis immutata declaratur, non obstantibus Codicis praescriptis, litteris Card. Gasparri, ex mandato Benedicti XV ad Card. Bisleti, Congregationis Protectori, latis d. 29 maii a. 1918.

⁵⁶ ASS., XIII pp. 634 ss.

⁵⁷ Ita e. g., approbatae fuerunt, uti Congregatio religiosa, *Dominae a labore* (N. Dame du travail).

Catechistae (a. 1907) quae saeculares habitus induunt. Item die 5 iulii a. 1911, S. C. de Religiosis adprobavit *Sorores externas* Congregationis Ancellarum S. Cordis V. Volpicelli, quae in saeculo vivunt. Pari modo « nihil obstat » ad erectionem canonican obtinuerunt (1 decem. 1916) *Sorores Nostrae Dominae a labore* (N. Dame du travail).

⁵⁸ Vide has *Normas* in AAS., XIII, 312 ss. nn. 13 ss. Re quidem vera illae prohibiciones non referuntur, verum alia, illis certe minora, excluduntur nn. 15, 16, 17.

dicendum esset (c. —, 6^o), eius tamen doctrina et spiritus late criterium Congregationis de Religiosis informavit.

2. Anno 1904 codificatio iuris canonici iussu Pii X digeri coepit.⁵⁹ Quaestionem de novissimis formis quae dum vitam religiosam imitantur aliquibus elementis formalibus carent, compilatorum considerationi fuisse subiectam, constat. Scimus enim et *Observationibus* ad schema an. 1912 Codicibus praeparatorium factis et in volumen ad usum privatum compilatorum collectis,⁶⁰ Provinciam Tolosanam ad can. 528 schematis respondentem hodiernis canonibus 673 ss., proposuisse ut tales associationes inter religiones recenserentur, habita ratione definitionis religionis can. 369 relatae.⁶¹ Ad marginem huius animadversionis Card. Bisleti, qui illo utebatur volume, qua manu, sed, nisi fallimur, ex suggestione cl.mi Magistri P. Maroto Emi Patris oculatissimi et adsidui collaboratoris, et adsessoris rescrispsit: « Se hanno gli elementi per costituire una Congregazione religiosa, debbono sottostare alle prescrizioni comuni, nisi aliter ex privilegio apostolico disponatur ». Res decisioni matura adhuc non erat.⁶²

3. Interim hae societates ubique terrarum⁶³ et diversissimae conformatio-

⁵⁹ Litt. ap. « Arduum sane munus » d. 19 mart. an. 1904. Cfr. GASPARRI, *Praefatio ad Codicem Iuris Canonici*.

⁶⁰ Titulus: *Riassunto delle Osservazioni dei Vescovi e Superiori Regolari*. Tametsi typis impressum, opus ineditum adhuc remanet.

⁶¹ En definitio can. 369 in citato schemate an. 1912: « Nomine religionis hic intelligitur societas, legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota perpetua paupertatis, castitatis, obedientiae nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt » (§ 1).

⁶² Merito igitur « *Provida Mater* »: « Codex etiam Iuris Canonici consulto de his Institutio siluit, et quae pro ipsis essent statuenda, cum adhuc matura non viderunt, reliquit futurae legislationi ».

⁶³ Huiusmodi societates specie in Germania, Austria, Italia, Hollandia, Hispania et Gallia floruerunt et florent. Congressus Sangallensis, de quo statim, ibi praesentes non minus quam quattuor et viginti recensuit ordines sed characteris laicalis.

⁶⁴ Sic, v. g., *Filiae Cordis Mariae*, *Filiae Reginae Apostolorum* (F. R. A.) vitam aut domus communes nullatenus habent; *Opus Iuventutis* (Œuvre de la Jeunesse), *Sorores N. Dominae a labore* (Sœurs de N. Dame du travail) duplice sectionem habent, unam communem vitam agentem in Societatis se Religionis domibus, aliam autem in saeculo vel propriis domibus degentem. Ut plurimum, in his societatibus praevalet *laicalis* character, quamvis non desint clericales et mixtae. Sic *Societas Sacerdotalis S. Crucis et Opus Dei* complectitur partem *clericalem* seu directricem, *laicalem* (*Opus Dei*) hominum et mulierum. Hae adhuc in servientes et directrices subdividuntur. *Societas Christi Regis Crucis Albae* comprehendit etiam sacerdotes, laicos et sorores, quorum alii *regulares* alii *liberi* sunt. Quandoque ramus saecularis autonomus non est, sed aggregatus alicui Societati maiori vel Congregationi, uti *Sorores externae Ancellarum S. Cordis*. — Singularis prorsus constitutio *Societas Sororum Marianorum Apostolatus Catholici a Schoenstatt* (Verband

pensiis Sedis Ap. expostulabant approbationem. Ex iis nonnullae inter associationes fidelium de quibus in parte III l. II Codicis incunctanter collocari poterant et debebant; etenim sive ob mere dioecesanam organizationem, sive ob imperfectam ditionem membrorum, sive, denique, ob partialem consiliorum evangelicorum susceptionem, typos associationum fidelium ibi comprehensos certo certius non excedebat. Econtra, nonnullae aliae, absque dubio, ad Religiones vel ad Societas in communiventum sine votis, in substantialibus accedebant;⁶⁵ hinc sollicitationes efficacissimae ad S. Congregationem de Religiosis porrectae ut inter illas adscriberentur. Sed neque canones Religionem vel Societatum vitae communis apte eis applicari posse videbantur. Inde necessitas ambitum status iuridici acquirendae perfectionis producendi.⁶⁶ Res ergo coepit doctrinaliter⁶⁷ et auctoritative tractari, eique manus apposuerunt SS. Congre-

der schönstätter Marienschwestern von kath. Apostolat) Societas civiliter constituta ante Status auctoritates appareat, imo membra singula, formaliter contractu civili, Societati aggregantur, qui, praevia monitione ante tres menses facienda, rescindi a sodali potest. Societas membris salarium pro labore ad sumptus pro victu, vestitu et tecto necessarios offert. Qui in « conviventia » degunt, victum et habitationem habent a Societate; qui autem « soli » in saeculo commorantur, sibi ipsi de his omnibus provident. Societas per plures Europae, Americae, Asiae et Africæ regiones valde diffusa est. Perdurante hitleriana persecuzione optime de Ecclesia et Patria promeruit.

⁶⁵ Hoc est, vel regimine interdioecesano, vel exercitio perfectionis evangelicae vel denique ex plena absoluta perfectioni vel apostolatui traditione.

⁶⁶ Sane quidem, nimis arctis Codicis formulis aptari non poterant absque vi vel exceptione ad ibi sancta principia. Placet hic referre verba quae in communicatione ad Congressum Internationale Iuridicum, Romae an. 1934 coadunatum, circa ampliorem adhuc evolutionem auspicandam in interpretatione sive votorum sive vitae communis in Codice praescriptorum, quaerebam: « Post tot evolutionis stadia per quae votorum simplicium valor et efficacia ad statum in Codice Iuris Cano-

nici sanctum pervenerunt, putandum ne est iam ad ultimum pervenisse ita ut ulteriori progressui, inspecta quidem votorum simplicium natura aliorumque elementorum illa consequentium, aditus paecludatur? Quaestio est momentissima, quia conatus vitae religiosae in qua tum votorum materia, obedientiae et paupertatis praesertim, tum vitae communis, maiori adhuc amplitudine sumatur, nostris diebus sunt frequentes. Ergo quaestioni censeo negativum responsum dari oportere. Evangelica enim perfectio, prout in vita religiosa perficitur atque tutatur, est summum studium plurium utriusque sexus personarum quae opera apostolatus maximo zelo et uberrimis fructibus strenue prosequuntur, stipendia nihilominus vitae religiosae mereri prohibentur ob nimis arcta pracepta canonica in Codice recepta et iurisprudentia applicata ». *De votis simplicibus in fontibus et in doctrina in ordine ad statum religiosum constituendum*. Excerptum ex Actis Congressus. Romae 1937 n. 16.

⁶⁷ Cfr. MERCIER, *La Fraternité Diocésane des Amis de Jésus*. Desclée 1927; LAMAITRE, l. c.; GUIBERT, l. c.; PEINADOR, *Quaestiones juridicæ-morales de statu religioso*, CpR., l. c.; CREUSEN, *Formes modernes de la vie religieuse*, in « Revue des Communautés Religieuses » an. 1932, 1 ss.; *Société religieuses in Ephemerides Theologicae Lovanienses* »

gationes ratione materiae competentes. Atque imprimis S. Congregatio Concilii ex mandato Pii XI quaestionem studio subiecit, cuius gratia congressum an. 1938, praeside Exc.mo P. Gemelli O. F. M. apud S. Gallum (Helvetia) promovit. Non minus quam 25 associationes characteris praevalenter laicalis concurrerunt. Conclusiones submissae fuerunt. S. Congregatio nonnullas interim ex his associationes approbare non distulit, quas inter, « Opus Regalitatis D. N. I. Christi », a cl.mo P. Gemelli Mediolani conditum.⁶⁸

Sed nostra interest sequi praesertim SS. Congregationes S. Officii et Religiosorum quae tandem doctrinam et disciplinam const. « Provida » relatam sub effectivo tamen « iussu ductaque » Pii XII proxime paravere.

4. Re quidem vera, non unum fuit semper apud S. Congregationem de Religiosis circa has consociationes criterium. Usque ad annum circiter 1930, potius adversam se praebuit, nimis rigide interpretans sive elementa status religiosi (cc. 487, 488, 594 etc.), sive Societatum in communi viventium sine votis (cc. 673 ss.), unde nimis faciliter novas associationes ad Congregationem Concilii remittebat.⁶⁹ Ab anno 1930, maiori favore eas prosequi visa est ex influxu doctrinae canonistarum qui veram elementorum status perfectionis naturam illustrarunt. Huius equidem immutati criterii signum apparuit communicatio in Congressu iuridico internationali an. 1934 Romae celebrato facta a Card. V. La Puma, tunc temporis a Secretis illius S. Dicasterii, circa evolutionem iuris religiosorum a Pio IX ad Pium XI, in qua, ad quaestionem de novis formis quae ad portas S. Congregationis continuo pulsant, respondit non esse *a priori* reiiciendas: « dovranno sicuramente essere vagliate nella formazione loro e nel loro contenuto: gli Eminentissimi Padri Cardinali, nel caso, vedrebbero, se le trovassero in accordo con ciò che è sostanziale allo stato religioso e giudicherebbero sul da farsi ».⁷⁰ Profecto ob hoc mutatum crite-

an. 1934, 780 ss.; LA PUMA, *Evoluzione del Diritto dei Religiosi da Pio IX a Pio XI*. Excerptum ex Actis Congressus Iuridici Internationalis. Romae, 1937; GOYENECHE, op. cit. i. e.; GEMELLI, *Le Associazioni di laici consacrati a Dio nel mondo* (pro manuscripto). Assisi, 1939 cap. IV; MAROTO, *De consecratione virginum pro mulieribus in saeculo degentibus*. Cpr., VIII 154 ss.; *De quibusdam associationibus sine vita communis et cum votis privatis*. Cpr., pp. 342 ss. etc.

⁶⁸ Approbatum est a. 1939.

⁶⁹ Ita e. g., ad S. C. Concilii missi sunt *Fratres SS.mi Crucifixi Taurinenses* et alii.

⁷⁰ Op. cit. p. 11. Parcat nobis benevolus lector si referam quod in eodem Congressu Internationali promptius votum his verbis: « Ego auderem submisso proponere, putans quid optimum favore vitae religiosae imo et ipsius optandi iuris progressus facere, ut Congressus votum suum promat deferatque reverenter ad S. Congregatiāem de Religiosis, ut novae istae formae vitae religiosae ubique nunc germinantes, ne soffocentur vel radicitus evellantur; sed ut alacriter adlaboretur ut, habita utique ratione et traditionis antiquae et personarum et temporum conditionum — quod ceterum mos fuit semper Romanae Curiae — et ipsae inter familias

rium, absque haesitatione approbat constitutiones laudate institutionis « Œuvre de la jeneusse » massiliensis (1 aprilis 1933), « Missioniarum Scholae S. Catharinae Senensis » (31 apr. 1934), « Equitum Melitensium » (5 mai 1936), veram rationem religiosorum membris talium Institutorum recognoscens, atque confirmans, large interpretando elementum vitae communis.⁷¹

5. Rem tamen funditus tractandi ansam S. Congregationi praebuit approbatio constitutionum « Religiosarum Nostrae Dominae a labore » (Religieuses de Notre Dame du travail) Parisiis opera praesertim A. P. A. Eymieu conditarum,⁷² quae iam ab anno 1937 a S. Congregatione approbationem expectabant. Ergo arrepta occasione, Rev.mus Consultor, nunc eiusdem Congregationis Subsecretarius, votum amplissimum rededit in quo nedum constitutiones relatae esaminabantur, verum quaestio de principio late et profunde prospiciebatur. At vero, dum hic labor parabatur, C. S. Officii, quae eiusdem quaestio studio, e latere suo, etiam intendebat, die 2 mai 1942, litteras ad S. Congregationem de Religiosis misit criterium huius Congregationis requirens circa has novas consociationes. S. C. de Religiosis, die 27 iulii eiusdem anni, absolutissimum dedit responsum ubi, adhibitis necessariis cautelis, sese illarum approbationi plene favorabilem perhibebat. De responso S. Officium penitus satisfactum se dixit. Interea votum Consultoris perfectum a Rev.mis Commissariis discussum fuit an. 1934, qui uno ore doctrinam ibi contentam probaverunt; verum Cardinali V. La Puma Praefecto, e vivis sublato, Congregatio Plenaria Em. morum Patrum quibus res submittenda erat, sine die fuit dilata. Non stetit tamen opus. Etenim cum S. Officio Congregationis de Religiosis labores innotuissent, litteris 6 martii a. 1945 ad hanc Congregationem missis, quaestionem universam tractandam eidem relinquebat, cum ipsa communicatis conclusionibus ad quas Suprema pervenerat in parandis pro talium associationibus regimine normis, ut si eisdem ad proprium opus complendum usufrui videretur.⁷³ Huiusmodi conclusionibus a S. Congregatione de Religiosis libenter acceptis et qua par est reverentia

religiosas cooptari valeant, quo, absque dubio, fieri ut perfectio evangelica et catholicus apostolatus in dies crescat floreat ». GOYENECHE, op. cit. l. c.

⁷¹ Pro his tribus Institutionibus nobis votum parare commisum est. Speciali studio et disceptationi, ex voluntate Pii XI, submissa fuit approbatio *Operis Iuventutis* (Œuvre de la Jeunesse) et eiusdem naturae verae Religionis recognitio. Singulares valde apparent etiam novissimae constitutiones Equitum Melitensium, in quibus praeter alia, vis voti solemnis paupertatis

multum restringitur atque coartatur. Cfr. *Costituzioni del Sovrano Militare Ordine Gerosolimitano di Malta conforme al Codice di Diritto Canonico*, Roma, 1936 tit. V c. I.

⁷² Obtento, uti diximus, « nihil obstat » a S. C. de Religiosis, ad erectionem canonicam, haec facta fuit a Card. Amette Archiepiscopo Parisensi die 31 oct. 1917.

⁷³ Litterae, ab Exc.mo P. Assessore S. Officii signatae, numerum fere 330-43.

et ponderatione pensatis, statim specialis constituta est Commissio ⁷⁴ cuius considerationi et voto submissa fuerunt: a) Schema decreti postea Ss.mo subiiciendum, in quo natura et status iuridicus talium associationum definiebatur; b) Instructio privata ad usum eiusdem Congregationis ubi plane ac indubie vis illustrabatur decreti et criteria specialia proponebantur in constitutione talium associationum servanda; c) Denique normae procedurales ad erectionem et approbationem. Omnia fuere ad trutinam revocata et maxima cura perspecta sessione 11 mai 1945. Commissionis votum fuit penitus favorable; expressit tamen opportunitatem praeter alias observations ut documentum edendum, ob momentum rei, loco decreti, solemniorem et efficaciorem «Motus proprii» formam indueret. Ulterius progressus est SS.mus Pater, cui omnia fideliter relata sunt quamque ultima elaborationis periodo, singula personaliter videre, pensare, perficere et definire non piguit. Voluit etenim Suam supremam sanctionem expressam modo solemniori quo actus maiores Romani Pontificis ex Eius supraea officio derivantes edi solent, nempe Constitutionis Apostolicae. Ergo post tot disputationes, consilia, vota et praeparatoria studia, pluribus annis protracta, exigentibus temporum ac rerum adiunctis, Romanus P. Pius XII Numero 4 die 29 martii 1947 promulgavit constitutionem «Provida Mater Ecclesia» sub data 2 febrarii ann. 1947, ⁷⁵ qua Institutorum Saecularium ordinem iuridicum decernit et definit novam instaurans categoriam status perfectionis in Ecclesia. Quod enim fecerat Leo XIII Congregationibus religiosis, id nisi fallimur, amplius et perfectius perfecit Pius XII Institutis Saecularibus, «ut illa autem Instituta, ait Romanus Pontifex, quae approbationem mereantur, talem obtineant iuridicam ordinationem, quae eorum naturae finibus, adiunctis apte respondeant, id ipsum pro Institutis Saecularibus perficere cogitavimus ac decrevimus, quod im. mem. Decessor Noster Leo XIII pro Congregationibus votorum simplicium per Apostolicam Constitutionem «Conditae a Christo» ⁷⁶ tam prudenter utque sapienter instituit.

XII. Sed iam ad partem constitutionis decretoriam transeamus. Ni fallor, ex hucusque dictis partem introductoriam illustrando, textus normarum quae in hac altera parte continentur, fere aliqua declaratione non indigent, quamvis copiosis commentationibus materiam faciliter preebeat. Pars haec dispositiva, uti decebat intentum, brevis est et sobria; decem articulis principia fundamentalia vitae iuridicae Institutorum Saecularium mira praecisione continet. Huic principiorum ordini nihil deficit; nomen, positio hierarchica, ius quo reguntur, elementa substantialia

⁷⁴ Haec Commissio, praeside Excel lentissimo Secretario L. E. Pasetto, constituta fuit a Rev.mo P. A. Larraona Subsecretario at a RR. PP. Creusen S. J., Grendel, S. V. D. Goyeneche, C. M. F.

⁷⁵ Publicata postea fuit in AAS., an. XXXIX, (1947) Series II, v. XIV, 114 ss.
⁷⁶ 8 decem. 1900 LEONIS XII P. M. Acta vol. XX 317 ss.

et discriminativa, normae ad erectionem et approbationem, interna organizatio, relatio ad ecclesiasticas auctoritates, perlucide definiuntur. Absque dubio, feliciter obtentos dicere possumus quos Romanus Pontifex fines sibi posuisse affirmat: «ut sapiens nempe ac severa fieri valeat Sociatum discriminatio, illaque tantum ut vera Instituta agnoscantur quae plenam perfectionis vitam authentice profiteantur; ut pericula vitentur erectionis novorum semper Institutorum — quae non raro imprudenter atque inconsulto conduntur —; ut illa autem Instituta quae approbationem mereantur, talem obtineant peculiarem iuridicam ordinationem eorum naturae finibus, adiunctis apte pleneque respondeat». Singulas has normas breviter percurramus.

XIII. Ergo *tantum societas* clericales vel laicales, hominum vel mulierum immo et mixtae, quarum membra profiteantur in saeculo consilia evangelica in ordine ad perfectionem adquirendam et apostolatus plene exercendum, efformant categoriam specialem, ab omnibus aliis societatibus distinctam, praesertim vero ab illis associationibus fidelium de quibus in parte III 1. II Codicis (cc. 684-725), et habent nomen proprium, id est vocabuntur «Instituta Saecularia» (a. I). Multum disputatum est de nomine iis consociationibus applicando. ⁷⁷ Selectum, sive in elemento generico sive in specifico, naturae earum apprime respondere videtur. Nomen «institutum» quod post Codicem tecnicam significationem non habebat, antea saepissime est adhibitum ad Congregationes votorum simplicium designandas. ⁷⁸ Nunc ex Constitutione «Provida Mater», non inepte iis consociationibus tribuitur quae in prosequenda evangelica perfectione, illis sat proxime accedunt. Adiectivum «saeculare» Institutis additum characterem proprium et specificum earum exprimit existentiae, desumptam praecise, ex fine adlaborandi non in claustris, sed in saeculo vivendo et commorando, ubi, uti caeteri cives, degere et operari possint. Notasse iuvabit, praeterea, etiam hic, statum iuridicum perfectionis tantum alicui *societati* adnexum recognosci (cfr. cc. 487, 488, 1^o, - 73).

XIV. Positio igitur Institutorum Saecularium est perfecte autonoma; non sunt Religiones quia eis tria vota publica, his necessaria (cc. 488, 1^o, 487 etc.) deficiunt; neque sunt *Societatis vitae communis*, nam obligatio

⁷⁷ Alii proponebant «Societas sine votis et vita communis», alii «Sodalitia religiosa»; S. Officio placebat nomen «unionis religiosae». Praevaluit tandem *Institutum saeculare* ob rationes in textu allatas.

⁷⁸ Quod canonizatum est in *Normis S. C. EE. et RR. ... in approbandis Institutis votorum simplicium* 28 iun. 1901. Nomen «Institutum» ad designandas Congregationes, etiam post

Codicem non semel in documentis officialibus (cfr. e. g., *S. C. de Religiosis* deer. 30 nov. 1922 AAS., XIV 645 ss.) adhibitum invenitur, at minus propri. Constitutiones, illae specialiter ante Codicem digestae, nomen «Instituti» frequenter retinuerunt. Post const. «Provida Mater» promulgationem, hoc nomen a constitutionibus expungitur cui sufficit illud Congregationis.

in communi vivendi sub eodem tecto et eiusdem mensae participandi quam praeseferunt (cc. 673-681 etc.) illarum Societatum proprii, eis non imponitur. Quodsi vitae communis ratio eisdem quasi ratione conveniat, sensu latissimo sumitur et applicatur (a. II § 1). Quae dicta intellecta habeas de iure communi, seu « ex regula », etenim, cum agatur de elementis mere formalibus, exceptiones admitti possent et admittuntur etiam post promulgationem const. « Provida Mater ». Sic Filiae Cordis Mariae Parisienses, Opus Iuventutis Massiliensis, Equites Melitenses pergunt esse verae Religiones licet in eis imperfecta adsit vel penitus deficiat.⁷⁹ Ex quo sequitur Instituta Saecularia neque iure proprio Religionum aut Societas vitae communis affici neque eodem uti posse nisi per exceptionem, vel melius per concessionem ab Apostolica Sede indultam vi eius aliquis illius articulus vel accommodetur vel applicetur. Quod tamen faciliter evenire poterit si de iure agatur Societatum in communi viventium ob maiorem Institutorum Saecularium cum iis necessitudinem (ib. 2º). Non valet ergo ius Religiosorum aut Societatum vitae communis dici Institutorum Saecularium suppletorium, nisi ad normam can. 20.

Quonam ergo, Instituta Saecularia iure reguntur? a) Imprimis iure *communi* quod ipsa afficit eorumque membra in iis omnibus in quibus speciali vel peculiari iuri non limitatur vel sufficitur. b) Reguntur praeterea Instituta Saecularia *proprio iure*, hoc est: 1º Normis que continentur in const. « Provida Mater »; haec enim constituit « proprium statutum » et legem fundamentalem eorum (ib. 1º). – 2º Normis a S. Congregatione Religiosorum, data opportunitate et experientia suffragante, condendis ad const. apostolicam sive interpretandam quacumque interpretationis specie,⁸⁰ sive ad perficiendam novis et determinationibus prescriptionibus, sive ad ipsam applicandam vel omnibus vel aliquibus Institutis (ib. 2º). – Notatu digna ampla facultas concessa interpretandi, perficiendi, et applicandi constitutionem, maior, absque dubio illa ex iuri communi Congregationibus propria.⁸¹ Quod evidenter factum est eo quod Instituta saecularia quae, ad propriae activitatis variissimae exercitium, magna frui debent libertate, peculiaribus possint normis et cautelis uti. 3º Denique, propriis constitutionibus ad normam aa. V-VIII approbandis, in quibus, praeter normas speciales, etiam aliis vel a iure communi vel a iure religiosorum et Societatum vitae communis mutuare et sibi aptare poterunt

⁷⁹ Imperfecte adest in *Opere Iuventutis*, nam una pars in propriis remanet domibus negotiis, etiam saecularibus, intenta; penitus vero deest in *Equitibus melitensibus*, quantumvis Ordo proprias habeat domos.

⁸⁰ Apostolica Constitutio non distinguit, imo satius innuit hanc amplissimam facultatem, cum S. Congrega-

tioni munus complendi et perficiendi committit.

⁸¹ Cfr. BENEDICTUM XV, motu propri. « Cum iuris canonici » nn. II, III; VAN HOVE, *De Legibus*, n. 243; MICHELS, *Normae Generales*, I, pp. 394 ss.; MAROTO, *Institutiones Iuris Canonici*, I, n. 237 b.

(ib. 3º). Igitur ex omnibus his fontibus ius proprium Institutorum efformabitur quod nonnihil conferet ad iuris generalis evolutivam perfectionem.

XV. Art. III est velut substantia e medulla totius constitutionis « Provida Mater »; in ipso enim (§§ 2-4) definiuntur elementa materialia et praesertim *formalia* per quae Instituta saecularia in suo esse et a ceteris aliis consociationibus distincta constituuntur. Si aliquid ex iis quae hic prescribuntur deficiat, nullatenus, salva utique exceptione vel privilegio a S. Sede probandis, erigi valebunt Instituta saecularia. Haec autem elementa sub tribus capitibus comprehenduntur, scilicet: *professione*, seu *plena consecratione ad vitam christiana perfectionis*; *incorporatione Sodalium vinculo ex ea orto*; *sedibus vel domibus communibus*.

PROFESSIONE vel plena vitae christianaee perfectionis consecratio, praeter illa ascesis exercitia, omnibus qui ad perfectionem adspirant communia, eam hac speciali ratione persequantur oportet: 1º *professione coram Deo facta coelibatus*, qui actuales nuptias excludit, et *castitatis perfectae* seu *absolutae* (c. 1509), firmata voto privato (c. 1303 § 1), vel iuramento (c. 1318), vel consecratione seu traditione in conscientia obliganti. Obligatio haec est, ex genere suo, gravis et provenit ex virtute religionis (cc. 1307 § 1, 1317 § 1); 2º *Obedientiae voto vel promissione* cuius vi sodales stabili vinculo sese *totos* Deo et operibus caritatis et apostolatus Instituti propriis tradunt, adeo ut in omnibus et semper, quatenus utique talium Institutorum fert condicio, idest *moraliter*, Superioribus ad constitutionum normam subsint (a. III § 2, 2º). Hac ratione Institutorum sodales non aliter atque religiosi semper et in omnibus a Superiorum eorum pendent. Ex voto hic etiam surgit specialis obligatio religionis; ex promissione vero, quae intellegitur Instituto facta, iustitiae et fidelitatis. Haec generaliter levis dicitur, illa gravis quoque esse potest.⁸² Licet tamen votum et promissio sint privata, nequeunt proprio emittentis arbitrio limitari, cum producat ex lege veros effectos iuridicos; 3º *Paupertatis voto vel promissione* quo usus bonorum temporariorum aliquatenus coarctetur ad normam constitutionum (ib. 3º). Ad vim et ambitum huius voti vel promissionis definiendam plena facultas tribuitur constitutionibus. In Religionibus ipsis et in Societatibus vitae communis, maxima diversitas circa paupertatis exercitium.⁸³ Uti liquet, tribus his obligationibus, perfectionis evangeliae substantia sufficienter exercetur in Institutis saecularibus, unde iure meritoque statui perfectionis adscribuntur.

INCORPORATIO, alterum elementum substantiale, requiritur etiam in suo genere perfecta et intima, ut in Religionibus et Societatibus vitae communis. Consequitur professionem seu consecrationem modo explicata

⁸² Cfr. S. ALPHONSUM, *Theologia Moralis* ed. Gaudé, Romae, 1907, I. III, n. 720 ss.

⁸³ VERMEERSCH, *De Religiosis*, I

n. 237 ss.; GOYENECHE, *De Religiosis*, n. 66, II; 73, I, C.; LARRAONA, *De paupertate simplici*, CpR., II, pp. 4 ss., 71 ss., 104 ss.; cfr. etiam can. 676 § 3.

efficit ut professio ipsa membra *proprie dicta* et parit vinculum seu ligamen quod debet esse 1º *stabile* ad normam constitutionum, hoc est, perpetuum vel temporale suo tempore renovandum (ib. § 3, 1º, c. 488 1º). Uti in religionibus stabilitas etiam vinculo temporali, se suo tempore renovando satius verificatur, attamen hic quoque vineulum, ut plurimum, intentionaliter perpetuum esse deberet.⁸⁴ Quamvis in constitutione nihil expresse dicatur, vinculum etiam ex parte Religionis stabile esse debet; ac proinde nonnisi in casibus et ob causas a iure permissas possit membrum professione temporaria vel perpetua devinctum ab Instituto dimiti. 2º Vinculum, praeterea, sit *mutuum ac plenum*, ita ut sodalis se totum Instituto concredat in opus sanctificationis et apostolatus eidem proprium et hoc curam gerat et de sodali respondeat in spiritualibus et, ubi opus sit, etiam in temporalibus. Haec constitutiones accurate determinent, eo quod, data particulari membrorum conditione, quae professionalibus valere possunt officiis, non semper adeo patebunt inter Institutum et sodalem mutuae ad invicem relationes.

Ad tertium denique quod attinet, nempe ad DOMOS COMMUNES unam vel plures habendas, multum disputatum est; veruntamen omnibus tandem visae sint valde convenientes, quinimmo necessariae, ob illas rationes praesertim quas innuunt fines in constitutione expressi. Hinc tametsi saecularia Instituta non ferant ex se — quin positive excludatur — vitam communem quae sub eodem tacto et ad eandem mensam membra recolit (ib. § 4), opportunissime eisdem una vel plures communes impnuntur domus: a) *ad residentiam determinatam et visibilem regiminis supremi vel regionalis*, ne privetur S. Sedes modo facili, quotiens voluerit, inspiciendi et communicandi cum Institutorum Superioribus. Quae valent etiam pro Ordinariis quatenus eisdem subiecta sunt (a. VI, VIII) et pro membris. Residentia haec *socialis* potius quam materialis videtur intelligenda. « Ut residere valeant » (ib. 1º). b) *ad institutionem spiritualem et technicam seu professionalem*, dandam accipiendam, complendam sodalium et ad exercitia spiritualia, adunationes periodicas vel eventuales, ad ferias etc. (ib. 2º). Hoc videtur exigere seria et integra sodalium formatio ad spiritum proprium, activitatem apostolicam, ad intimorem inter membra et capita unionem. c) *Ad recipiendos et fovendos sodales qui senio, infirmitate, defectu bonorum vel officii et aliis de causis, etiam ordinis spiritualis*, ut puta necessitate avellendi sodalem ab occasione, auferendi a

⁸⁴ Videtur applicandum quod dicitur de Religionibus, nam const. « *Provida* » formulam a can. 488, 1º mutavit. Cfr. LARRAONA, Cpr., p. 268 not. 77; GOYENECHE, op. cit. n. 2; CORONATA, *Institutiones Iuris Canonici* 3, n. 105 e). Non est tamen nimis in hoc insisten-

dum. Uti supra diximus (not. 49), contractus quo *Sorores Marinae a Schönstatt* Societati deviciuntur est natura sua temporaneus qui, quocumque temporis momento voluntate sodalis potest rescindi.

determinata activitate, aut etiam voluntate sodalis saeculum relinquendi at prefectui vacandi (ib. 3º). Erit constitutionum omnia maxima cura definire. Ceterum, etsi haec domus seu haec domicilia non sint verae domus religiosae tamen pro earum constitutione et suppressione analogice aliqua iam applicata fuerunt et alia absque dubio in posterum applicabuntur ex iure religiosorum petita. Hinc Ordinarii loci consensus exigetur ad *erectionem* domus non solum Institutum *iuris diocesani*, ad normam can. 495 § 1, sed etiam *iuris pontificii* ad normam generalem can. 497 § 1.⁸⁵

XV. Talibus instructa elementis, Instituta saecularia subsunt S. Congregationi de Religiosis (a. IV, § 1) cuius est moderari ea quae ad statum canonicum perfectionis acquirendae sese referunt (c. 251, § 1): Haec dependentia secumfert ut omnes quaestiones Instituta saecularia attinentes, ordine administrativo tractandae et omnes dispensationes a iure communi pro sodalibus Institutorum, S. Congregationi de Religiosis sint referendae, salvo iure S. Officii circa ea quae dispensationem a ieunio eucharistico pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt (cc. 551, §§ 2, 3; 247, § 5). Et hoc valet nedum pro Institutis in futurum condendis verum etiam pro conditis. Nec contra hanc conclusionem argui potest ex articulo X constitutionis ubi dicitur iam fundatorum iura et obligationes immutata manere; nam dependentia ab una vel ab altera S. Congregatione iura Institutorum non afficit, sed Congregationis cui in ipsa constitutione *exclusive* attribuitur competentia. E contra, associationes evangelica non profitentes consilia perfectionis acquirendae ac apostolatus plene exercendi gratia (a. I) vel, si profiteantur, aliquo ex elementis n. III *taxative* recensitis carentes, salva exceptione ab Ap. Sede probanda, accensendae sunt fidelium associationibus partis III 1. II Codicis supra laudatis (cc. 684 sqq.), ac proinde subiiciuntur S. Congregationi Concilii (ib. § 2). In utraque tamen hypothesi, hoc est, sive agatur de Institutis saecularibus sive de associationibus fidelium, sarta tectaque manent iura S. Congregationis de Propaganda in canone 252, § 3 contenta, vi cuius, huic « pariter subsunt societas ecclesiasticorum ac Seminaria quae *exclusive* fundata sunt eo fine ut in eis instituantur missionarii pro exteris nationibus = quae eidem S. Congregationi de Propaganda subduntur — praesertim, quod attinet ad eorum regulas, administrationem atque oportunas concessiones ad sacram ordinationem alumnorum requisitas (c. 253, § 3; ib.). Ergo si Instituta non *exclusive* ad missiones exteriores, licet in locis missionum vel cum elementis ex illis locis fundentur, subiiciuntur S. Congre-

⁸⁵ Pro suppressione iure adhuc expresso deficimur sed, ut coniici po-

test, normae can. 488 generatim recipientur.

gationi Religiosorum (a. IV, § 1). Instituta Saecularia ritus orientalis suberunt S. Congregationi pro Ecclesia Orientali (c. 257, §§ 1, 2).

XVI. Aliqua nunc de erectione et approbationibus Institutorum saecularium. Erectioni applicantur praescripta Codicis et Normae S. Congregationis pro erectione Religionum et Societatum vitae communis (aa. V, VI).⁸⁶ Agendum, unus Episcopus et qui in iure nomine Episcopi venunt, uti Abbas et Praelatus *nullius* (c. 323, § 1), Vicarii et Praefecti AA. (c. 294, § 1), Administratores AA. permanenter constituti (c. 315, § 1), non vero Vicarii Capitulares et Generales,⁸⁷ condere Institutua saecularia valent et in personam moralem erigere (a. V, § 1). Articulus distinguit conditionem et erectionem in personam moralem. Conceptus equidem distincti sunt, actio vero in casu unica quae, simul condit et erigit, nam Institutua legitime condita certo certius personalitatem moralem prae se ferunt (cc. 687, 708), quamvis fundatio fieri nequeat si conditions ad personalitatem moralem praescriptae deficiant quae in can. 100 praescribuntur. Episcopus vero antequam ad erectionem procedat, tenetur, uti pro Religionibus et Societatibus vitae communis praecipitur (cc. 492, § L 674), Sedem Ap. consulere (ib. § 2) Haec consultatio fit S. Congregationi referendo ea quae iuxta nn. 3 et 4 Normarum, et stylum et proxim inducitam vel induceendam pro casu erectionis Religionum vel Societatum in communi viventium referuntur (a. VI § 1).⁸⁸ Si omnia secunde processerint S. Congregatio licentiam⁸⁹ concedit, qua obtenta, possit Episcopus uti

⁸⁶ Normae, quas Apostolica constitutio commemorat, editae fuerunt a S. C. de Religiosis die 6 mart. an. 1921 sub titulo: *Normae secundum quas S. C. de Religiosis in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet.* AAS., XIII (1921) 312 ss.

⁸⁷ Hi neque de mandato speciali; possent ex delegatione Episcopi, cfr. can. 199 § 1; LARRAONA, Cpr., V, p. 43 not. 36; GOYENECHE, op. cit. n. 8; SCHAEFFER, *De Religiosis*, 4, n. 278.

⁸⁸ En numeri *Normarum*: 4. Quoties aliquis Episcopus, iuxta canonem 792 § 1, novam aliquam religiosam votorum simplicium Congregationem concedere opportunum iudicaverint, re adhuc integra, S. C. de Religiosis adeat, eam distincte docendo de iis quae necessaria sunt, ut ipsa S. Congregatio de opportunitate novae foundationis mature iudicare possit. 4. Docebit praesertim, quis qualisque sit novae Congregationis auctor et qua de causa ad

instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit Congregationis condenda nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera Congregatio assumpta sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similes in Dioecesi sint Congregationes et quibus illae operibus insistantur. Nunc ex stylo Congregationis, exigitur schema constitutionum. Notandum licentiam ad erigendas Congregationes, ut plurimum, non concedi nisi prius sufficiens numerus membrorum exhibeatur quae, per aliquid tempus iam sub forma simplicis Associationis vel Piae Unionis specimen vitae religiosae satis dederint et probaverint. Quae omnia, congrua congruis referendo, Institutis saecularibus Constitutio Apost. vult applicata.

⁸⁹ De evolutione huius *licentiae* LARRAONA, Cpr., V, pp. 45 ss.; GOYENECHE, *De Religiosis*, n. 9 not. 5. Ergo

iure suo et erectionem peragere formali decreto.⁹⁰ De peracta erectione officiale notitiam S. Congregationi mittat (ib. § 2). Ita conditum Institutum saeculare, erit *iuris dioecesani* et quamvis in alias dioeceses diffundatur, quandiu approbationem pontificiam vel decretum laudis non obtinuerit, tale remanet, Ordinariorum loci iurisdictioni ad normam iuris plane subiectum.⁹¹ Nihilominus, Institutum saeculare semel erectum, nonnisi ab Ap. Sede supprimi potest ad normam can. 493, et, licet «constitutiones immutari valeant sive ab uno sive ex consensu omnium Ordinariorum in quorum dioeceses fuerit commigratum nullo pacto afficere potest mutatio ea quae ad normam laudati a. VI fuerunt S. Sedi subiecta.⁹²

XVII. Institutua saecularia, non aliter atque Religiones et Societates vitae communis fiunt *iuris pontificii* per approbationem pontificiam vel decretum laudis ». Hoc decretum est « primus actus quo S. Sedes ad novae Congregationis opus manum ita admovet ut desinat esse simpliciter dioecesana ».⁹³ Quod pari valet ratione pro Institutis saecularibus (a. VII, § 1; cc. 488, 3^o, 673, § 2). Ad decretum autem laudis et ad ultiore et definitivam approbationem « illa generatim, congrua congruis S. Congregationis iudicio referenda requiruntur quae ex Normis (nn. 6 sqq.) stylo et praxi eiusdem Congregationis pro approbationibus Congregationum vel Societatum definita sunt vel definitur » (a. VII, § 2). Adest tamen haec differentia qua procedura, in casu, facilior et expeditior redditur. Postquam de more res agitata fuerit apud Commissionem Consultorum,⁹⁴ et praehabito horum favorabili suffragio, negotium totum submittitur *Congressui pleno* eiusdem S. Congregationis sub moderamine Cardinalis Praefecti et interventu peritorum vel peritiorum Consultorum prout res ferat. Decisa Congressus SS.mo a Cardinali Praefecto vel a Secretario referuntur SS.mo, quo approbante decretum laudis et approbationes eduntur (ib. § 3, 1^o, 2^o,

consultatio valet petitionem licentiae ad condendum Institutum. Cum constitutio clausulam irritantem non habeat, videretur sustineri validitas erectionis ab Episcopo factae inconsulta S. Sede. LARRAONA, ib.; GOYENECHE, ib.; CORONATA, op. cit. p. 613 not. 8.

⁹⁰ Cfr. can. 100 § 1. Hoc formale decretum, sicut pro Religionibus et Societatibus vitae communis, hic etiam scriptum requiritur. S. C. de Religiosis, 30 nov. 1922. AAS., XIV (1122), 645 ss. Cfr. MAROTO, Cpr., V, 196 ss. Scriptura tamen ad valorem erectionis certo certius non demonstratur (cc. 110, § 1, 15, 11).

⁹¹ Normae, n. 5.

⁹² Can. 495 § 2.

⁹³ Normae, n. 6.

⁹⁴ Mos apud S. Congregationem de Religiosis est ut unus ex consultoribus qui Commissionem speciale efformant ad Congregationum approbationem et constitutionum revisionem etc. in sinu eiusdem Commissionis, quae singulis sabbatis coadunatur, referat, voto scripto prolato, moderante vicem Secretarii S. Congregationis gerente Commissario ad hoc habitualiter designato et scribente decisa a *secretis* Commissionis. Ut iam notavimus, nunc, aliter atque *Normae* ferunt (cc. I, II), negotium approbationis Religionis constitutionum una simul, ut plurimum tractatur.

3º). Ut melius haec differentia intelligatur, sciendum est, iuxta praxim pro approbatione Congregationum et constitutionum, quae nunc, uti diximus, simul expeditur, votum Commissionis, si agatur de decreto laudis et approbatione temporaria constitutionum, submittitur *Plenariae Congregationi* Cardinalium referente uno ex Eminentissimis Patribus. Decisa Secretarius R. Pontifici refert, quo annuente, emittitur decretum laudis vel approbationis. Si autem agatur de approbatione definitiva, idem modus procedendi habetur, exceptu interventus Congregationis Plenariae, nam habito voto favorabili Commissionis res defertur ad R. Pontificem. E contra, in approbandis Institutis saecularibus loco Congregationis Plenariae subintragit *Congressus plenus* modo dicto compositus.

XVIII. Quamvis Instituta saecularia decretum laudis vel etiam definitivam approbationem obtinuerint, remanent nihilominus Ordinariis locorum subiecta, salvis utique propriis constitutionibus a S. Sede approbatis vel eidem submissis (a. VII, § 2), normis in constitutione « *Provida Mater* » relatis, et futuris a S. Congregatione edendis. Nequeant ergo Ordinarii constitutiones ulla tenus immutare, de re oeconomica cognoscere, sese ingerere in regimen internum etc. (c. 618). Verum ea omnia quae ad Ordinarios pertinent, sive in clerum sive in populum, in membra Institutorum saecularium competere affirmandum, salvis semper constitutionibus et iure proprio a S. Sede ipsis constituto. In dubio possidet Ordiniorum auctoritas. Data horum Institutorum natura *saeculari*, eisdem neque obligationes neque privilegia religiosorum (c. 614) vel clericalia (c. 119-123) nisi agatur de membris clericis, convenient.

XIX. Regimen internum Institutorum saecularium hierarchicum et interdioecesanum, quo a simplicium associationibus fidelium penitus distinguuntur, regimen et constitutionem Religionum vel Societatum vitae communis imitari potest. Quousque tamen haec congrua accommodatio portendi oporteat, ipsa S. Congregatio singulis in casibus iudicabit, praे oculis habitis diversa natura Institutorum, finibus, temporum et locorum adiunctis (a. IX).

XX. Constitutio « *Provida Mater Ecclesia* » vim retroactivam non habet; merito ergo declarat nihil immutari constitutionis praescriptis circa iura et obligationes illorum Institutorum ab Episcopis iam conditorum consulta Sancta Sede vel ab ipsa Sancta Sede approbatorum. Ergo illa omnia forte fundata inconsulta S. Sede, vel ea omnia habentia conditiones et elementa ad Institutum Saeculare constituendum debent, iuxta normas modo explicatas, legitime constitui ut possint verum statum iuridicum perfectionis ingredi et hierarchice opera apostolatus merite et fructuose exercere. Negatur igitur facultas associationibus elementa Institutorum saecularium habentibus, remanendi in statu simplicis associationis vel piae unionis.

XXI. Executio huius momentosae constitutionis Apostolicae S. Congregationi Religiosorum committitur, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis specie, uti supra notavimus, amplissima facultate interpretandi, perficiendi et applicandi praeepta quae in ipsa continentur (a. II § 2, 2º). ⁹⁵

XXII. Concludamus. Ex hucusque dictis momentum const. « *Provida Mater Ecclesia* » facile evincitur, etenim in ea traditionalis et doctrina perfectionis christiana mirifice confirmatur et illustratur, necnon synthesis evolutionis statuum iuridicorum perfectionis acquirendae in Ecclesia, per saecula maturata, compleetur feliciter. Deinceps ergo triplex status iuridicus perfectionis acquirendae erit necessario recensendus, nempe Religionum, Societatum vitae communis et Institutorum saecularium; quo fit ut, dum opportunitas ac facilitas evangelicam perfectionem secure profitendi compluribus personarum coetibus profertur, Ecclesia ipsa novis atque efficacibus catholicae fidei divulgationis et vitae christiana penetrationis instrumentis hierarchicis ditatur. Hinc iure meritoque uberrimos sanctitudinis et apostolatus fructus auspicare licet.

At forsitan quis quaerat: ita iam statibus acquirendae perfectionis absolutis, dicendane erit occlusa ulterioris evolutionis possilitas? — Requidem vera trilogia relata perfecte adaequata videtur; nihilominus ad quaestionem respondere licet quod de statu religioso prout in Codice Iuris Canonici definitum habemus, plures abhinc annos scribebamus: « Nec putandum est status religiosi conceptum, prout nunc in novissima disciplina completum habemus, nullas alias mutationes in posterum passum iri. Nam et si indubium sit nunquam in Ecclesia status perfectionis defuturos, formae tamen iuridicae quas huiusmodi status induunt, sicut et aliae formae ab humano iure inventae, erunt perpetuis mutationibus et evolutionibus obnoxiae ». CpR., I.

SERVUS GOYENECHE C. M. F.

⁹⁵ Decreto 25 mart. a. 1947 S. Congregatio de Religiosis Commissionem iurisperitorum, ex audientia SS.mi constituit quae « Sacrae Congregationi in illis omnibus assistat, quae ad legislationem Instituta saecularia quoquomodo respicientem et ad ipsorum Institutorum approbationem atque evolutionem spectant ». En nomina Com-

missariorum, quibus alii, prout necessitas vel utilitas suggestat, addentur: E. Suárez, O. P., I. Grendel, S. V. D., Agatangelus de Langasco, O. FF. MM. CC., I. Creusen, S. I., S. Goyeneche, C. M. F., A. Del Portillo Inst. saec. « Opus Dei » a secretis, AAS., XXXIX (1947) 131 s.